# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# Teſtium Tumore Gonorrhœæ ſu-perveniente.

# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

## DE

# Teſtium Tumore Gonorrhoeae ſuperveniente.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS SHORT,

SCOTO-BRITANNUS,

Societ. Reg. Phyſic. Edin. Soc. Hon.

Societ. Reg. Med. Edin. Socius,

Et

Societ. Chemic. Sodalis.

*Quippe nec ira deum tantum, nec tela, nec hoſtes;*
*Quantum ſola noces, animis illapſa voluptas.*

Sil. Ital. Punic. l. xv.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.

Conſanguineo ſuo ſpectatiſſimo

JACOBO SMITH,

DE BONSIDE,

ARMIGERO,

Has juveniles ſtudiorum

In Re Medica

Primitias,

Exiguum neque ſatis dignum,

Attamen

Publicum atque ſincerum grati animi,

Teſtimonium;

Propter amicitiam, benignitatem,

Curamque fere paternam,

Quas, dum ſpiritus hos regit artus,

Nunquam non

Reminiſcetur;

Itemque,

Viro praeclaro

JACOBO HUNTER, M. D.

Collegii Regii Medicorum Edinenſis

Socio digniſſimo,

Plurima ob ejus conſilia,

Privata, praeſtantiſſima,

Quae ſibi,

Per totum vitae decurſum,

Pretioſa ſunt habenda,

Et propter attentionem pene indefeſſam,

Quam in ſe, cum valentem tum aegrotantem,

Semper contulerit;

Hoc Tentamen Medicum

Inaugurale,

Summa, qua par eſt, obſervantia,

Sacrum eſſe voluit

JACOBUS SHORT.

## CORRIGENDA.

Pag. 7. *lin.* 19. *poſt* deliquium *ſupple* animi.

35. *lin.* 20. *pro* majorem *lege* major.

— *lin.* 21. *pro* quantitatem *lege* quantitas.

— *lin.* 22. *pro* ſolito *lege* ſolita.

39. *lin.* 19. *pro* pauculis *lege* paucula.

42. *lin.* 14. *pro* exciperunt *lege* exceperunt.

# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

## DE

# Teſtium Tumore Gonorrhœæ ſuperveniente.

## PROŒMIUM.

ACRITER diu quidem ac fervide diſputatum eſt, cum curioſis literarum, tum famae medicis excelſae atque ſolertiſſimis, de tempore, quo primum Atlanticum citra Oceanum, morbus venereus humanum genus infeſtare incepiſſet. Hodie autem contentionibus illis praetermiſſis, conceditur fere ab omnibus, hoc ma-

lum foedum, doloreſque plurimos infligens, penitus Europae certe nationibus fuiſſe ignotum, ante annum 1493, quo Columbus cum ſociis ex Novo Orbe in Hiſpaniam rediit.

Verum minime tamen diſſimulandum eſt, quod auctores quidam, iidemque hodierni, prorſus ſentientes ſecus, morbum quo Jobus aliique antiquos inter Judaeos conflictarentur, pro ſyphilitidis ſpecie habendum, propoſuerunt.

Opiniones haſce refutare, cum praeſertim hujuſmodi rei cognitio, nec auxilium ullum ad cauſas incommodi conſtituendas, nec rationem ei medendi felicius ſtabiliendam, ſecum traheret, penſum, ut opinor, aeque acerbum atque inane foret. Hoc ergo dixiſſe nunc temporis ſufficiat, quod ad lepram, potius quam luem veneream, reſpicere mihi videtur morbus ſupra dictus. Quicunque ſcientiam hac ſuper re ampliorem magis exquiſita, quam ad docendum accommodata,

accommodata, vult is, Aſtruc, Friend, Henſler, aliorumque hujuſmodi ſcripta admodum copioſa, ſedulo retractet.

In praeſentia, porro, quicquam diſſerere de intercapedine, ſi eſſet ulla, qua in Europa noſtra apparuiſſe ſyphilis et gonorrhoea dicuntur, effugio: Omnia enim hoc ſuper certamine, quae vel dicta vel literis tradita fuerunt, mihi difficultatibus atque dubiis videntur animum potius circumdare, quam lucem, quae cuivis ſatisfaceret, afferre. Hoc autem cognitum habere ad rem noſtram pertinet, malum nimirum, de quo acturus ſum, antiquum aeque eſſe ac ſit gonorrhoea ipſa; et quidem hoc malum, ſi (quod minime ſane dubitandum) vel neglectum vel male adminiſtratum, tunc ſaeviret, ut nunc, aliter evenire haud potuit.

Scriptores equidem minus recte, teſtem ex gonorrhoea tumefactum, vulgo deſignarunt vocabulo *Herniae Humoralis*. In ſenſu medico *Hernia* uſitate finitur; tumor partis

partis vel partium, ex prolapſu aut protruſione, quae natura intra abdominis cavum debent retineri *. Haudquaquam noſtrum eſt ullius vocis ſenſum mutare, more antiquo ſancitum, neque vero noſtra refert hoc an alio utamur verbo, dummodo quae amplectantur accurate definiverimus. Captis igitur, qualia ſeſe nobis offerant, et ſenſu eorum intellecto, ad graviora progrediemur.

Perpaucae, nullae forſan, inter varias in loco affectiones, quae, quantum nobis innotuit, gonorrhoeam aut ſubſequuntur aut comitantur, tam homini formidoloſae ſunt, quam ipſa de qua agitur.

Nobis, organorum, quibus incumbit hoc vitium, ſtructuram exquiſitam, atque grave munus natura dicatum iiſdem, ſecernendi nimirum fluidum, de quo pendet generandi facultas, et exinde ut perpetuetur gens

* Vid. Pott on Ruptures.

gens humana *, conſiderantibus, haud revera mirandum eſt, quod quaequae mala partes genitales vexantia, animum aegri ſummis premerent aerumnis. Vix enim cuique intolerabilius quidquam evenire poteſt, quam ut facultate careat connubii officiis fungendi: nec hoc ſolum, at caſus ipſe, interdum, et exitu incertus, et ſanatu prorſus difficilis evadit.

MORBI

* Ut eleganter ſcripſit noſter Gregory: "Quoniam "ſinguli, ſecundum naturae leges, homines labentibus "annis, ſeneſcunt et moriuntur, ne genus ipſum pe-"reat, cautum eſt mirabile facultate, qua homo et om-"ne animal fruitur, ex ſeſe prolem ſui ſimilem gignen-"di;" *Conſp. Theor. Med.* § 748.

## MORBI PHÆNOMENA,

## ET

## QUORUNDAM EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Quanquam ſaepius anteaquam intumeſcat teſtis, certa ſymptomata, in aliis alia, futura, quae anxie metuit aeger, praenunciant, tamen penitus diverſe, exemplis in diverſis, aliquando incidit. Namque hic teſtium tumor illi reliquarum inflammationum in hac re inſigniter abſimilis; nonnunquam ſubito oritur, ac paulo poſt, nec minus ſubito, detumeſcit: Immo fere horae *momento* alterum ſaepe relinquit, atque teſtem alterum, protinus et nulla cauſa evidente, adoritur *.

Aliquot

* Vid. Hunter on the Venereal Diſeaſe.

Aliquot plerumque dies, ante teſtis tumeſcentiam, ceſſat penitus gonorrhoea vel ſaltem imminuitur; aliter vero evenit aliis, biduo enim etiamque triduo longius nonnunquam perdurat *. Nec quidem exempla defuerunt, in quibus fluxus puriformis, poſtquam correptus teſtis fuit, recrudeſcere videbatur. Alia denique notata, quibus fluxus, quum nullus forſan per tempus aliquod antea fuerit, majore ſolito copia, redintegratus fuit, et neque, niſi cum tumore ſimul ceſſavit †.

In utroque teſte unove, motum, qui primo ſenſum quodammodo gratum praebere ſolet, volubilem quaſi laborans habet ‡. Nec vero multum poſt, huic ſenſatio longe alia ſuccedit: Sentiuntur teſticulorum quaſi compreſſio et dolor, ſaepe adeo acutus, ut deliquium inducatur.

Dolore

* Vid. Swediaur on the Venereal Diſeaſe.

† Vid. Hunter on the Venereal Diſeaſe.

‡ Vid. Falk on the Venereal Diſeaſe.

Dolore urethra, introrſum uſque ad vaſorum ora deferentium tendente, quoque angitur. Ipſa item vaſa dicta, per totum decurſum, ſimul inflammatione corripiuntur, quam mox epididymidibus communicant. Subinde oritur teſticuli alterutrius tumor, mollis primo, dolens, et aliquando in miram magnitudinem creſcens. Circa idem tempus, ſcrotum, ob vitia intus contentorum, tumet atque rubet.

Mox intumeſcentia, ab initiis hucuſque mollis et preſſurae cedens, obdureſcit; dolor apud tactum etiam levem, aegrum plurimum vexat ; et teſtis ipſius pondus cruciatum adfert intolerandum fere.

Quidam nobis veraciter dixerunt, ſe offendiſſe caſus, in queis teſtes inflammatione et tumore arrepti, aliiſve laeſi injuriis, admodum formidandos, veluti apoplexiam, hemiplegiam, epilepſiam, convulſiones, et tetanum, edidiſſent morbos *.

Pars

* Vid. Monro's theſis illuſt. de Teſtibus, &c.

Pars epididymis eſt, quae maxime obdureſcit. Funis ſpermaticus craſſior, ſummeque ſenſilis fit, et tactu leviſſimo dolet.

In inguinum alterutro vel utroque, ſaepe percipiuntur dolores acuti, pulſatiles; ibidem nec non bubones, ut vulgo exiſtimantur ex ſympathia, haud raro progignuntur. Aliquid tamen dubii haeret quibuſdam, hi utrum enaſcerentur urethra antea inflammata, unde quoque prima affectio teſtium, necne. Ire inficias rem ita habere ſe minime auſim: At enimvero mecum reputans veroſimile eſſe agnoſco, ſymptomata inguinalia a chordae irritatione ſpermaticae facile poſſe promanare.

Plures praeterea conſentiunt, cum teſtibus laborantibus aliae corporis partes; *e. g.* dorſum lumbique; in quibus dolores graves, fixi, haud iis multum abſimiles foeminis ante menſtruorum fluxum incidentibus, aliquando excitantur. Aliis vero ſecus

contingit; hos enim frequentius dolores fluxi, acres, breviuſque durantes, vexant.

Ductus quoque totus inteſtinalis, et exinde totum corpus, ſaepe plurimum laeduntur: Hinc ſuboritur anorexia, nauſea, vomitus, borborygmi, ſpaſtici dolores, qui omnes tam crebro hunc comitantur morbum. Organa atque vires concoctrices plerumque mirum in modum conturbantur: Hinc vultus pallor, et opportunitas praecipue ad flatum in primis viis generandum, qualis in hernia humorali, admodum gravis obſervatur *.

Itemque organa ad urinam pertinentia univerſam fere neceſſario participant cladem. Iſchuria, ſaepe ac certius dyſuria, aegrum infeſtat. Hae autem promptius et frequentius, quando fluxus ex urethra puris, tumorem in genere praegreſſus, ceſſaverit, occurrunt.

Ipſae

* Vid Hunter on the Venereal Diſeaſe.

Ipſae nates nonnunquam, ſed rarius, tument; quod vero potius gonorrhoeae quam herniae humorali attribui debet.

Reduces venae e teſte in funiculo ſpermatico varicoſae ſaepe fiunt. Febris, ex dolore vehementi et acuto, ſymptomatica, advenit. Hunter denique, ſe vidiſſe ſanguinem, rebus ita exiſtentibus, detractum et ſepoſitum, meminit, coopertum pellicula coriacea, non ſecus ac in aliis phlegmaſiis contingere ſolet.

Ad pulſum ſpectantia in hoc morbo, Profeſſor noſter perilluſtris Monro ſequentia dudum admonuit: ‘ Adeo inter ſe ſimiles ‘ videntur teſtium et inteſtinorum doloris ‘ ſenſus, ut ſi ex analogia ratiocinari lice‘ ret, in teſtium inflammationibus, pulſus ‘ celer et durus, ſed tamen contractus eſſet, ‘ qualis in inteſtinorum inflammationibus ‘ ab auctoribus practicis obſervatur; quum ‘ haud a vero alienum videatur, pulſum ‘ contractum a corde et arteriis, per par-

‘ tium

'tium ſenſum exquiſitum, et pluſquam do-'lorificum, et nervoſum etiam nexum, ir-'ritatis et ſpaſmodice affectis, provenire.' In nota porro ſcripſit idem: 'Ex teſtibus 'inflammatis, pulſus non ita durus ac mag-'nus eſt; quae enim partes arterioſae et 'venoſae ſunt, majores pulſus excitant; 'quae nervoſae aut omnino nihil aut par-'vos, at tetanos generant et ſpaſmos *.' Auctoribus ab aliis, qui hunc morbum diſceptarunt, quantum adhuc ego compertum habui, pulſus conditio parum accurate deſcripta fuit.

Inflammatione levi, epididymis ſolummodo, et adhuc leviore, vas deferens, et nihil aliud, tumet.

Recentior, et quidem auctor ingenioſus †, ſententiam, ut cenſere videtur, novam et graviſſimam nuper protulit. Ambitioſus denunciavit,

* Vid. theſ. illuſt. de Teſtibus, &c.

† Vid. Swediaur on the Venereal Diſeaſe.

denunciavit, teſtem, hujus initio mali, nunquam ipſum intumeſcere, ſymptomata vero penitus ad epididymidem relegari, et denique tumorem teſticuli corporis, ex mala ſemper adminiſtratione provenire.

Quiſnam ſane, vas deferens ac epididymidem, ante ſubſtantiam ipſam teſtis, laborare ignorat? Hoc ex vitii natura vel cauſa maxime generali, nobiſque laudata, gonorrhoea ſcilicet, accedat, ut poſtea conabimur explicare, neceſſum eſt. Experientia autem ſua cuique, ni fallor, ſatis erit diſſuadere, ne ejus opinionem latius amplectamur. Affectus equidem, ut ſuſpicor, et teſtis tumor, minime ſemper neque longius poſt tempus, ab iniqua tractatione oriuntur. Jamdudum porro patebat practicis perattentis, talem conſenſum, ſaltem connexionem, vas deferens inter, epididymidem, atque teſtem ipſum intercedere, ut alicujus eorum incommoda ſubito ſaepe, et certius cum reliquis communicentur. Accedit etiam ad haec, quod hernia humoralis, gonorrhoea

norrhoea enata, facies eaſdem, ac quae aliis a cauſis producatur, induit; doloremque totum per teſtem plane diffuſum ſentit aeger. Haec omnia atque ſigna, brevi poſt tumorem, apparent.

Teſtium aliquando uterque, ſaepius autem unicus ſolum, laborat. Dexter an ſiniſter frequentius afficiatur, apud medicos antea multum diſputatum fuit: Nunc quidem pleriſque conceditur, illum quam hic, multo ſaepius aſſultui eſſe obnoxium *. Commentator et interpres Boerhaavii celeberrimus, hanc opinionem ipſe quoque ſecutus eſt: Exemplis enim in omnibus ab eodem prolatis, dexter tumore corripiebatur †. Verique quidem ſimile eſt, eum affici potiſſimum; ſi praeſertim aliorum analogia morborum ad hanc firmandam ullo modo obſervationem valeat. Cynanche parotidaea, certo Angliae comitatu, magnam

* Vid. Niſbet on the Venereal Diſeaſe.

† Vid. Van Swieten's Comment. in Aph. 1450.

magnam partem endemica quondam apparuiſſe dicitur; et omnibus laborantibus, tumore recedente parotidaeo, afficiebatur teſtis dexter, ſi unum tantum excipias, in quo, is, ab injuria quadam jam antea illata, pene deletus fuiſſet *.

Quamobrem hunc quam illum teſtem, inflammatio potius adoriretur, res quidem eſt haud facilis intellectu, neque, quantum ſcivimus, ab ullo auctore agitata.

Duplicem hanc quaeſtionem, qua ratione, ſcil. gonorrhoea adhuc invaleſcente, teſtium inflammatio tam raro oboriatur? Et quare, fluxu remittente vel penitus ceſſante, eundem plerumque excipiunt tumor, aliaque herniae humoralis ſigna? Alicui roganti, rogans inviciſſim reſpondere volo. Annon nobis liceat, aliis temporibus, aliam ſedem gonorrhoeae attribuere? Ita quidem cenſeo. Namque, morbi ſub initium, materia

* Vid. Duncan's Med. Comment, ann. 1786.

teria mucoſa provenit ex glandulis ſeu lacunis Morgagni affectis, prope ad urethrae extremum poſitis; poſtea autem, et verſus finem, irritatio ac inflammatio profundius in urethram deſcendunt *, immo nonnunquam attingunt veſicam ipſam urinariam: Quo fit, ut orificiis vaſorum deferentium immediate irritamenta applicentur, indeque facillime ipſos ad teſtes deferantur. Si hac via minime, quomodo accidat, me neſcire fateor.

Medici, ad cauſam hujus mali frequentiorem reſpicientes, frequenter id quodammodo venereum eſſe ſpectarunt. At nullis tamen, certeve fundamentis admodum infirmis, ratiocinium eorum mihi videtur ſuffulciri. Si quando enim haec terminatur inflammatio teſtis per ſuppurationem, materia ex abſceſſu elata, pus eſt aeque bonum et mite, quam quod ex ulceribus benignis effluat: Et eidem medetur profecto abſque

* Monro's Praelectiones.

abſque auxiliis mercurialibus, aut externe aut interne adhibitis. Porro, aliquando intumeſcere teſticuli, eademque ſymptomata exhibere, ac quae ex gonorrhoea naſcantur, aliis aliiſque ex cauſis cernuntur; *e. g.* ex lithotomia, ictu, ductione bacilli (*Gallice bougie*) incurioſa intra urethram, compreſſione aut vaſorum ad teſtes pertinentium vexatione, ſimilibuſque. Ex his omnibus, mihi perſuaſiſſimum eſt, nihil unquam venerei ad teſtes ex urethra deferri poſſe. Hac de re autem fuſius, cum de cauſis diſſeram, dicam.

Hinc herniam humoralem, adducor, veneream, ſi alicui accidat, venereo totius non partis corporis vitio imputandum eſſe concludere. Plurimi, ſimul fatendum, medici multum dubitarunt, unquamne oriatur ab tali ſyſtematis habitu hicce adfectus, necne: Quod poſſit, Hunter nec non Swediaur, ſtrenue negant; contra affirmant Aſtruc, Pott, aliique nec minus graves auctores. Non noſtrum eſt, et ſane imperitia

vetat, tantas componere lites. Nihilominus agnoſcendum, res plures ferre animum, ut his quam illis potius auſcultem. Nihil enim, ut opinor, impedit, quo minus teſtes aeque ex ſyphilitide, ac carcinomate aut ſcrophula, tumore et inflammatione, capiantur. Hancce autem rem in medio quaſi linquimus, utpote, quae extruenda ſola experientia vel diruenda ſit.

Hujus morbi gravitas atque duratio, in aliis atque aliis, ex aegroti conſtitutione, ratione medendi inſtituta, &c. oppido variant. Finitur modo paucos intra dies, modo autem ſeptimanas, imo menſes plures, durat. Dudum ab Aſtruc ſolerti obſervatum fuit, quo major fuerit tumor, eo citius eum plerumque reſolvi. Epididymis aliquando per totum vitae decurſum, saepe ſine ullo incommodo, dureſcit; quanquam enim vas deferens lateris affecti evaderet impervium, alterum plerumque generandi conſiliis ſufficit *.

DIAG-

* Vid. Hunter on the Venereal Diſeaſe.

## DIAGNOSIS.

Haudquaquam in genere difficile erit, herniam humoralem dijudicare aliis ab affectibus ibi locorum proditis. Gonorrhoea equidem antecedens plerumque ſatis facilem reddet diagnoſin.

Atqui cum, ut ſupra traditum, teſtium tumor, donec gonorrhoea ejuſque ſigna prorſus ceſſaverint, et aeger, ut cenſet, revaluerit, ſaepe non appareat; cum alii tumores ſcroti, etiam dum aliquis gonorrhoea laboret, advenire aliquando ſoleant; cumque teſtium inflammatio, denique, nonnunquam terminari cernatur, per Sarcocelen *, vel

* Vid. Bell's Surgery, vol. 1.

vel Hydrocelen *, ad rem fore judico, ſi quaedam, quibus Hernia humoralis ab aliis viciniſque, ex aliqua parte, morbis, certius dignoſci queat, proferam. Ut inter haec diverſa malà accuratius diſtinguatur, hac praetereà ratione, magis neceſſarium, quod curatio, nimirum, in omnibus longe diverſa eſt, atque error conſequentiis excipi, nec medico ipſi honorificis, nec aegro tutis, poteſt.

*Hernia Scrotalis.*—Hernia humoralis ſignis ſequentibus a ſcrotali dignoſci queat: Tumore nempe duritie et teſticuli ipſius ſimul cum epididymidis inflammatione; exquiſita

* Vid. Elſe on the Hydrocele. Vir quidam, inquit ille, qui hernia humorali antea laboraverat, tumore teſtis ferme tum penitus receſſo, in theatro aſſidens admodum calefacto, ſenſationem rupturae quaſi ſubitam habebat et fluidi effuſi intra ſcrotum, quod digitis eo tempore exploratum plurimum tumeſcebat. Quam intumeſcentiam poſtea hydrocelen fuiſſe invenit, illamque, humore compluries epiſtomii ope elicito, haud ita multum poſt curavit.

exquiſita eorundem ſenſilitate, et ad tactum leviſſimum, ſummo dolore; intumeſcentiae pondere, ratione molis ſuae; funiculo ſpermatico diſtincte per tegumenta percepto; alvo libera et faeces, quando aequum ſit, facile dejiciente, quae in Hernia vera, pertinaciter comprimitur.

Sin vero adhuc de tumoris natura ambigatur ſcrotum occupantis, de diagnoſticis quae inſequantur, pendendum et inquirendum. An magis tumet ſcrotum, corpore erecto, ſicuti in Hernia ſcrotali, an aliter? An tuſſiendo, ſternutatione, motu ſubito, vehementi augeatur, et tunc iterum preſſura adhibita, quiete et poſitu horizontali capto, tumor minuatur? An demum, his dictis, ut in Hernia humorali, nihil parumve mutatur?

*Hydrocele.*—Medicis hujus mali ſcriptoribus enumerantur ſpecies plures, quarum ſingulas deſcribere, vel cum morbo, de quo agitur, conferre, quippe quae parum ad

rem

rem noſtram ſpectent, hic loci effugio. Species tantum unica eſt, cujus ſymptomata ullo in modo affinia ſunt iis, quae Herniae humorali propria habentur. Ea haec eſt, in qua humor teſtem inter et tunicam vaginalem continetur, ideoque *Hydrocele vaginalis* recte dicitur. Morbos igitur internoſcere duos, ſymptomatis utriuſque perpenſis, facile poterimus. In hydrocele, tumor mollis, elatere praeditus, expers coloris, ſaltemve reliquae concolor cuti eſt. In hernia humorali vero, tumor aliquanto durior; facies ſcroti plus minus aſpectu rubrior, et haud raro inflammata. In hac, teſtis ſemper figuram ſibi propriam ſervat; in illa autem formam in aliis aliiſque diverſam exhibet; ſpeciatim ſub exortum tumor rotundus quaſi, et deinde, in decurſu, auctior, ſaepe pyri, craſſo inferius extremo, figuram induit. Teſticulus inſuper ſolitae magnitudinis, a parte poſteriore tangi poteſt, in hernia humorali, non. Haec ad tactum maxime dolet, parum illa. Prior aquam intus fluctuantem agnoſcit, minime

autem

autem poſterior. Ad diagnoſin etiam conferet, ſi tumor ſcroti, oculum inter et lucis radios vividae apte collocetur. Quandoquidem tamen humor hydroceles faeculentus, craſſus, colore lurido et atro *, nonnunquam obſervatus fuit, ſignum hoc ſaepe fallax eſt. In omni caſu diagnoſin multo accuratiorem habebimus, ſi utrum gonorrhoea praeceſſerit, necne diſcere poſſimus.

*Sarcocele.*—In ſtadio ſarcoceles primo, nullum adeſt periculum, ne pro illa unquam prehendamus herniam humoralem. Initio enim prioris, tumor teſticuli parvus eſt, ſcrotum neutiquam decolor, dolor fere nullus.

Diagnoſtica in ſtadiis igitur provectioribus ſolum requiruntur. Herniam humoralem inter et ſarcocelen itaque diſtinguatur, progreſſu, cauſis, et utriuſque ſymptomatis evidentibus. In illa, tumor ut plurimum

* Vid. Platneri Inſtitut. Chirurg. § 862.

mum rapide, in hac, lente progreditur. In ſarcocele, quae cauſas, ictus, contuſiones, teſtium diſtorſiones plerumque agnoſcit, ab ipſo teſtis corpore incipit tumor atque ſenſim, deinceps epididymidem ac funem ſpermaticum occupat. At herniae humoralis, a gonorrhoea provenientis, ut vulgo cernitur, ſymptomata, methodum huic prorſus oppoſitam ſervant. Affectio teſtium ſimpliciter inflammatoria; tumorem firmum quidem, ſed vix, aut ne vix quidem, tam durum ac producit ſarcocele. Huic ſuperficies, digitis preſſa et explorata ſcabra eſt ac inaequalis: Illi contra laevior, et manu teſte et oculo magis uniformis eſt. Poſtremo, ſarcoceles duratio atque ſimul curandi difficultas, plerumque his ſupra proditis adjectae, probe ſufficient, ad differentias neceſſarias ſtatuendas.

Teſtes aliquando, ex podagrae paroxyſmo *, ſaepius ex cynanche parotidaea tument,

* Vid. Hunter on the Venereal Diſeaſe.

ment, et faciem haud ei multum abſimilem, quae ſeſe praefert in hernia humorali, noſtra, reddunt. Morbi autem praegreſſi, aut ſimul exiſtentes, ſatis, ut plurimum, intumeſcentiae genus diſtinguunt.

## CAUSÆ MORBI.

Antiquiores, cum naturam et cauſas hunc morbum facientes, auctores inveſtigarunt, vel propter notiones falſas de gonorrhoeae materia, vel ſtructurae anatomicae ob inſcitiam partium laborantium, graviter errarunt. Dum illis creditum fuit materiam in gonorrhoea elatam, ſemen eſſe vitiatum, (et inde morbus abſurde vocabulo *gonorrhoeae* deſignatur) herniam humoralem, eidem in teſtibus cohibito, quo et ductus ſeminiferi, et etiam teſticuli ipſi, nimis infarciebantur, falſo attribuebant. Gravi

quoque argumento ſibi vertere ſolebant, quod gonorrhoeam receſſam ſaepiſſime exciperet teſtium tumor. Vix certe operae pretium erit, aggredi hanc refellere opinionem, imprimis, quum ab omnibus noſtrae aetatis auctoribus ea abjiciatur. Notum eſt omnibus aeque gonorrhoea valente, ac ſi non, ſemen abundare. Et, ne plura dicam, ſi fluxus de ſemine omnino penderet, aut ſi ſemen verum eſſet, ſenſatio eadem a gonorrhoea atque venereo orgaſmo excitari deberet.

Hac improbata, alia, pro cauſa herniae humoralis quoque habita, notio nec minus abſurda, protinus ſubit. Medici quibus conceſſum fuit, gonorrhoeam ex membrana urethrae inflammata, mucumque vitiatum effundente, provenire, teſtem tumefactum frequenter excipientem eam attribuebant (et quidem primo viſu veriſimiliter) refluxui muci pravi teſticulos verſus.

Utcunque

Utcunque grata haec opinio et fautoribus probata fuiſſet, dudum ſortem proximae juſto tulit. Nec latent rationes. Fundamina enim ſuper ignorantia et praeconceptis jaciebantur; illis vero ſublatis, haec et neceſſario ruerunt. Nondum ſatis anatomici exploraverant abſorbentium curſum iſtarum partium. Simulatque vero lymphaticorum procurſus examine illorum ſevero, et maxime Monro ingenioſiſſimi neque unquam fatigandi, melius intellectus fuiſſet, res tandem ad crucem accedebat; en! nulla, quae mucum ad teſtes vitiatum devehant vaſa, aut adhuc detecta aut forſitan detegenda ſunt. Omnia iſtiuſmodi, ut nuper demonſtratum, a ſuperficie urethrae oriunda tendunt inguinum ad glandulas; quo fit ut fluida iis devecta maſſa cum generali recta commiſceantur. Hanc ob rem, ſi tumor teſtium, qualem nunc agimus, unquam a materia oriatur gonorrhoeae abſorpta, neceſſe ex maſſa imbuta viro, *i. e.* lue confirmata, ut proveniat. Illo ex fonte nunc autem negligo, quoniam tractare herniam

herniam humoralem, locali ſtrictius ortam ab affectu, accinctus ſum.

Auctores, adhuc de hac cedere arena nolentes, ſubjecerunt ora deferentium intrare virus venereum poſſe, hoc inque modo ad teſtes deferri. Quanquam ita incidere rem poſſe minime omnino recuſare audeo, tamen obliquus vaſorum in urethrae cavum introitus, etiamque varii in decurſu anfractus, hujus notionis, me judice, fortiter fidei obſtant.

Priuſquam de hac re momentoſa atque exquiſita, palam ſententias meas ferre progredior, ad rem duco, alteram opinionem, ab iis prolatis prorſus diverſam, quam pro nova atque ſibi propria habet auctor, et omnium nuperrimam, animadvertere; eoque magis, utpote quae ſcriptoris ſit haud minimae famae ingeniique *. Verbis utar ipſius,

* Vid. Swediaur on the Venereal Diſeaſe, editio tertia.

ipſius, ne forte ſenſum ſcriptoris, ſecus ac ipſe voluerit, tradam.

'It appears moſt probable to me (inquit 'ille) that this diſeaſe (ſcil. hernia humo-'ralis) is owing to the venereal poiſon be-'ing retropulſed from its original ſeat, in 'the lacunae Morgagni under the fraenum, 'lower down the urethra, where, by its 'acrimony, it irritates the excretory ducts 'of the ſeminal veſſels, whereby the ſecre-'tion of the ſemen is increaſed, but its ex-'cretion is prevented, on account of the 'excretory ducts being irritated, contrac-'ted, and ſwelled: Hence an accumula-'tion of ſeed, firſt in the vas deferens, 'then in the epididymis, and at laſt in the 'teſticle itſelf. Hence, from this diſten-'ſion of the ſpermatic veſſels, not from any 'real inflammation of thoſe parts, a pain 'comes on, which, for this very reaſon, is 'always, we obſerve, obtuſe, never acute; 'and hence we often ſee the patient ſud-

'denly

'denly relieved by a ſpontaneous pollu-
'tion.'

Auctoris pace ſolertis, ab illo hacce de re diſſentiendum: Æquum tamen faſque, ne cuivis videar notionem ejus gravi ſine ratione abnuere, ut pauculis referam, quae, me judice, maxime huic doctrinae obſtant.

Teſtem laborantem quam ſanus, ſeminis aliquanto plus capere ſatis veriſimile eſt, et Profeſſor Monro jam antea idem commonuit *. At tantum tamen, me opinante, abeſt, ut ductuum diſtenſio ſeminiferorum *ſola* ſit cauſa, teſtium tumorem movens, ut ex variis credere ducar, neutiquam haberi pro noxa primaria. Sin de ejuſmodi diſtenſione ductuum penderet, ut ſupra dictum, hernia humoralis, quaeritur; Quo ſemen, in iſtis exemplis, ubi tumet teſtis et confeſtim ferme detumet, ſeſe recipiat? Quo, cum ſubito tranſeat ex uno ad alterum

* Vid. theſ. illuſt. de Teſtibus, &c.

rum teſtem tumor? Quibuſnam, quaeſo, potentiis fluidum diſtendens, hinc alio tam ſubito transferatur? Qua fit ratione, ſi res ita eſſet, uti a Swediaur fictum fuit, ut Venus ſatis culta non ſemper optima medicatrix? E contrario, quare illa, tumore ſubſiſtente, potius nimium colentes peſſundat?

Auctor hic theoriam ſuam dilectam hinc praecipue, ex fluxu nimirum ſeminis ſpontaneo aliquando tumoris ſymptomata ſublevante, deprompſiſſe mihi videtur. Hoc autem argumentum, ni erraverim, magnopere claudicat: Teſtatur enim ſolum, quod antea conceſſum, nihil amplius, hoc eſt, ſolito majorem ſeminis copiam teſtibus inflammatis nonnunquam eſſe; quo, ſi vero unica morbi cauſa fuiſſet, elapſo, tumor penitus ſummoveatur oportet. Non ita ſcilicet res, ut plurimum, ſe habent.

Hic porro forſan adnotare haud rei abſonum erit, teſtem tumefactum ex ſemine nimis diu retento progenitum, medicis compluries,

pluries, mihi ipſi ſemel, oblatum fuiſſe. In hiſce quidem omnibus exemplis tumor, aut fluxui, nolente homine, ſeminis ſpontaneo, aut veneri ſolitariae, aut demum concubitui aequo, cedere ſolebat. Hanc autem affectionem ab hernia humorali, de quo acturus ſum, alienam pene vel penitus arbitramur. Ad ſummum, ex ſupra dictis, concludere fas eſt, morbum noſtrum haudquaquam de ſeminis retentione ſola, ſed longe alia cauſa dependere; ad quam res ipſa nunc demum me admonet, ut animum pauliſper advertam.

Noſter Profeſſor Monro, theorias omnes et olim et nuper medicis proditas, rite judicans magna ex parte falſas eſſe, ſuam demum propoſuit, quae phaenomenon rationes magis diſtinctas, et ſimul melius ſibimet cohaerentes, quam quas reliqui protulerant, reddit. In Diſſertatione Inaugurali ſua de Teſtibus, &c. ann. 1755, edita, ſententiam ſuam, hac de re, ſequentibus nobis tradit. ‘ Nonne ſtimulus quicunque ductuum ſe-

‘ minife-

'miniferorum oſtiis admotus ſeminis copi-
'am augebit, quum aliis glandulis liquo-
'rum ſecretiones augeat? v. c. piper oculo
'vel ori immiſſum lachrymas et ſalivam
'citat. Non injuria igitur ſuſpicari licet,
'venenum venereum intra urethram lati-
'tans, tantam ſeminis copiam ſtimulo ſuo
'concitare poſſe, ut, veram quamvis go-
'norrhoeam non cicat, nocturnis tamen
'ſeminis emiſſionibus, adeo in hoc morbo
'creberrimis, materiam ſuppeditare poſſit.

'Nonne magis veroſimile videretur, ſe-
'minis copiam hac de cauſa non parum
'intendi, quum hoc morbo laborantibus,
'teſtes ſubito ſaepenumero multum, neque
'magna inflammatione excitata, intumeſ-
'cant, quanquam ſanis, ſemen per id tem-
'pus ſecretum, nec tamen emiſſum, in
'hanc magnitudinem teſtes non attollat?

'Et quum apud practicos annotetur, teſ-
'ticulos ex intempeſtiva gonorrhoeae ſup-
'preſſione ſubito ſaepe intumeſcere, et re-

‘ ſuſcitata gonorrhoea detumeſcere, haud ‘ temere ponamus, ſtimulum levem ſemi‘ nis ſecretionem promovere; acriorem au‘ tem ductuum ſimul orificia impedire et ‘ conſtringere, et hinc ſeminis effuſioni ob‘ ſtare, ut exinde teſtes in tumorem excreſ‘ cant.

‘ Et pari ratione, teſtes veneno venereo ‘ etiam intactos, inflammatione tentatos ‘ putemus, ſi acrior evaſerit liquor venere‘ us in urethra deliteſcens, et in fortiores ‘ vibrationes arterias ſpermaticas concita‘ rit.’

Quod mihi conceditur cum tanto viro conſentire laetor, cujus doctrina ad hanc ipſam, atque quidem res alias plurimas pertinens, omnium veriſſima et maxime jucunda eſt.

Herniam humoralem ſaepe aliis ab cauſis, quotquot ſcilicet proritent urethram, a ſabula videlicet, calculis, ulcuſculis, lithotomia,

tomia, aliiſque oriri, quum ille obſervaſſet, recte concludit virus venereum eadem vi in membranam urethrae internam pollere, pari ratione eam nimirum irritando: Nec illi, utpote ſcientiae anatomicae peritiſſimo, difficile fuit explicatu, quomodo irritamenta illis locis admota morbum inducere poſſint. Vaſa deferentia enim in urethrae cavum hiant; ſique haec graviori inflammatione corripiatur, illa etiam ſaepe laborabunt; conſentiet ſimul epididymis, et poſtremum teſtis ipſe plus minuſve afficietur.

Nunc denique praemiſſa reſpecta habens, jure conſtituere *cauſam proximam* videor, vaſorum partis affectae actionem adauctam, ab urethra inflammata, ac deferentium vaſorum oribus irritatis ortam, atque cum teſtibus mera continuitatis ſympathia communicatam: Dum eodem tempore majorem ſeminis quantitatem, in teſtibus, quam ſolito, contineatur.

Ad

Ad memorandas cauſas, quae vulgo excitantes dicuntur, quaeque inflammationem augere maxime valeant, demum progredior. Si ſingulas cauſas hanc perſtantes enumerarem, labor indignus et quidem ſupervacaneus foret; eoque magis, cum omnia ſyſtema ſanguiferum nimis ſtimulantia huc apte referri queant. Memet, hanc ob cauſam, intra limites cohibebo arctiores, eaſque ſolummodo ſubjiciam, quas medici ſaepius adnotant.

*Frigus.*—Neminem latet, hoc, corpori jam praecipue opportuno valetudini adverſae, applicatum, morborum inflammatorium, veluti, Anginae, Pneumoniae, Rheumatiſmi acuti, &c. impetui multum favere, eorumque in decurſu augere ſaevitiam: Quod in noſtro non ſecus ac in iſtis morbis accidere ſolet; ſi enim, aquae vel aëris frigidi interventu, frigus genitalibus gonorrhoea impura affectis admotum fuerit, ſymptomata priora non ſolum plus ſolito vigent,

vigent, ſed nova, uti teſtium tumores, oriuntur.

*Injecta acria vel aſtringentia.*—Hoc ſub capite ſacch. ſaturn. calomel. vitr. alb. corroſiv. ſublimat. et alkal. cauſt. recenſentur; quae incaute adhibita ſaepe inflammationem urethrae plurimum acerbant; concitando nonnunquam, ſed praeſertim ora exhalantium vaſculorum conſtringendo, raro, materiam virulentam repellendo (ut antique putatum) ad teſtes. Nihil enim parumve probationis ſecum adfert, quod, anteaquam tumor apparuerit, gonorrhoea frequenter evanuit.

Injectiones etiam blandae, oleoſae ſcilicet et mucilaginoſae, urethra laxe vel nec compreſſa eaſdem accipiente, materiam viro imbutam ad vaſorum deferentium ora propellendo, eoſdem ac acriores praeſtant effectus. Plurimi etiam putarunt, acriores modo ſimili vique eadem pollere; ex tamen medicorum obſervationibus hodie ſatis conſtat,

ſtat; has, effectus ſuos, urethra et accuratiſſime compreſſa, edere.

*Sanguinis circuitum citantia*,—veluti exercitatio violenta cujuſvis generis, at praecipue equitatio, ſaltatio, atque ambulatio: Venus nimis frequens et immodice culta; qua non ſolum, totum corporis maxime concitatur, verum etiam ſanguinis fluxus partes verſus generationi inſervientes, determinatur.

*Purgantia draſtica.*—Haec, quoniam rectum inter; parteſque ei vicinas, et praeſertim veſicae urinariae cervicem, ingens obtinet conſenſus, rectum ſtimulando, haud parum inflammationis in urethram inducunt, inductamve augent ſaepiſſime. Iſta igitur jure optimo inter cauſas herniam humoralem moventes collocantur.

*Faeces induratae*,—quae modo jam dicto parum abſimili agere videntur. Rectum ſtimulantes;

ſtimulantes, et augent et concitant partibus continuis inflammationem.

*Bougies* (ſic Gallis dicta).—Haec, aut magnitudine excedentia, aut materia nimis acri conſtantia, intra urethram ad ſtricturas amovendas ducta, teſtium tumorem, ut jam ſupra ſummonitum fuit, haud raro faciunt.

Ab aliis adhuc cauſis, morbus de quo agimus, origines ſuas trahit. Si urethrae ſtricturas, glandulae proſtatae tumores, veſicae uriniferaeque morbos enumeraſſem, ſimul cum veſicularum ſpermaticarum adfectibus morboſis, aliae mihi fortaſſis adhuc ſupereſſent noxae.

Peractis quae ad cauſas excitantes ſpectant, anteaquam ex toto hanc rem dimittam, haud abs re alienum fore judico, de his cauſis, quibus huic morbo aliquis praediſponitur, pauculis abſolvere.

Hic

Hic non ſecus ac in cauſis excitantibus, quodcunque in corpus agere univerſum, teſtes etiam afficere poterit. Illa vero, quae ſpecialiter opportunitatem dant, ſunt, poſitus corporis erectus, et ſimul teſtes penduli. Hinc *Scoti monticolae*, veſtimenta ob laxa, et neque ad teſtes rite ſuſtentandos apta, herniae humorali, quam qui planitiem habitant, quique veſtibus diverſis induuntur, magis obnoxii dicuntur.

## MORBI FINES.

Teſtium inflammatio plerumque fauſte per reſolutionem finitur, hoc eſt, calor, tumor, rubor, aliaque ſigna remittunt, ſimul partium textu integro manente. Veruntamen, hac terminatione quam maxime optabili, quodammodo abſoluta, ac ſignis inflammationis penitus omnibus ferme receſ-

ſis,

ſis, tumoris aliquid, ut et duritiei teſtis frequenter aliquamdiu durat. Hinc, ut opinor, recte dirimi poteſt morbus in ſtadia *acutum* et *chronicum*, quorum poſtremum, ſi parum cito tolli potuerit, non raro in ſarcocelen abire ſolet.

Chirurgus quidem celeberrimus *, teſtium hujuſmodi tumorem, nuper protulit, ſarcocelen ſinceram nunquam producere omnino poſſe. Ejus autem dicto oppugnat teſtimonium omnibus fere aliis et antiquioribus et recentioribus, qui hac de re locuti ſunt, perhibitum. Immo illorum nuperrimus †, eum degenerare interdum (ſed raro) in peſſimi moris ſarcocelen, ſcripſit.

Per ſuppurationem haec affectio quandoque terminatur; minus tamen frequenter, quam vulgo creditur, quippe quod practicis

 amplae

* Vid. Pott on the Hydrocele.

† Vid. Bell's Surgery, vol. 1.

amplae experientiae rariſſime obvenerit. Ad eam proclivitas, quando accidat, pluribus ex ſignis prehendi poteſt; tumoris ſcilicet diuturnitate et indiciis reſolvendi nullis, tenſione imminuta, remiſſione doloris aliqua ex parte, eodemque ſimul pulſatili facto; pulſu arteriarum pleniore et molliore; demumque aegro rigoribus ſaepius et ſubito arrepto *.

Raro tranſit in cancrum vel hydrocelen herniae hoc genus, ſed et rarius per gangraenam finitur. Exempla nihilominus nec omnino deſunt, quibus haec tumorem exciperunt.

Alia reſtat eaque haud adnotatu indigna terminatio hujuſce mali, teſtis puta conſumptionem affecti; cujus exempla in medicorum ſcriptis plura nobis narrantur. Unum tantum e multis ſubjungam.

'A

* Vid. Cullen's Firſt Lines, vol. 1.

'A gentleman, about 9 years ago, had 'a gonorrhoea, with a bubo which ſuppu-'rated. A ſwelling of one of the teſticles 'came on, for which he uſed the common 'methods of reſolution, and ſeemingly 'with ſucceſs. All the other ſymptoms 'being removed, he thought himſelf quite 'well; but, ſome time after, he found that 'the teſticle which was ſwelled was be-'come rather ſmaller than the other, which 'made him now pay attention to it. This 'decreaſe continued till it waſted entirely. 'For ſome years paſt there has been no 'appearance of a teſticle. He is not in 'the leaſt different in inclination and pow-'ers from what he was before *.'

Hactenus ſatis de morbi finibus locutus ſum; proxime diffidentia, qua decet, aggrediar illam diſſertationis partem, ad quam omnia ſupra dicta ſpectant; ſcil.

MEDENDI

* Vid. Hunter on the Venereal Diſeaſe.

## MEDENDI CONSILIA.

Medico, ſi advocatur, cum adhuc gonorrhoea invaleſcat, et anteaquam tumeant teſtes, evigilandum eſt, ne hoc malum oboriatur. Huic ſatisfit conſilio, cauſas vitando remotiores vel removendo; quales injectiones incaute uſurpatae; frigus partibus admiſſum; et quodlibet muci fluxui intempeſtive impedimento ſit; alvi compreſſio diligentiſſime cavenda eſt; aegrotans, quantum fieri poteſt, corpus in poſitu horizontali et teſtes ſacculo (Anglice *Truſs*) ſuſpenſos habeat. Tumor teſtium, hiſce praeſcriptis reſpectis, plerumque anteverti poteſt. De prophylaxi tantum.

His autem minus proſpere adhibitis, vel, ut ſaepius aſſolet, ex toto neglectis, et tu-

more

more reapſe jam inchoato, ad medelam refugiendum eſt. Haec, ut ſupra ſummonuimus, melius per reſolutionem procedit.

Ut paulo altius dixi, morbum in acutum et chronicum abire, ita nunc reor haud alienum fore, indicationem medendi duplicem ſtatuere; ſcil.

I. Signa compeſcere inflammatoria.

II. Tumorem perſtantem, itemque duritiem teſtis, quam maxime citoque ſubigere.

Abſolvitur indicatio prima tribus modis.

1. Cauſas amovendo remotiores, ſi adſint:

2. Diatheſin phlogiſticam totius ſyſtematis tollendo.

3. Actionem vaſorum auctam, et exinde humorum impetum in parte laborante, minuendo.

1. Quomodo cauſae remotae amovendae ſint, cum ex indole cuique propria, tum rebus jamjam relatis, ſatis liquebit.

2. Diatheſin phlogiſticam ſyſtematis totius aufert,

*Venaeſectio.*—Huc confugiendum eſt, praeſertim cum maxime urget febris ſymptomatica: Neque ab ea propter pulſuum exilitatem aut duritiem abſtinendum; hic enim, ac in certis aliis phlegmaſiis *, pulſus, ſanguinis detractione facta, pleniores ſaepe fiunt et molliores. Quoties ad venaeſectionem refugiendum erit, ſanguis largius fluere debet. Admonuit dudum Sydenhamus ſagaciſſimus †, uncias decem, ſymptomatis ſaevientibus, plerumque ſatis bene ferri, detractas.

*Laxantia.*

* Vid. Cullen's Practice—on Gaſtritis—vol. 1.

† Vid. Swan's Sydenham, p. 318.

*Laxantia.*—Eliminandae ſunt faeces, non ſolum propter irritationem, quam, rectum diſtendendo, partibus vicinis impertiantur, ſed etiam ut, vaſa mucipara inteſtinorum aliaque deplendo, minuatur phlogiſtica corporis conſtitutio. Mitia multo praeſtantiora. Hinc votis maxime conveniunt, crem. tart. ol. ricin. tamarind. mann. cum ſenn. compoſita, ſimiliaque. Eodem necnon ſpectant enemata blanda, emollientia.

*Quies.*—Dum conquieſcit corpus, minus ſanguinis ob ejuſdem remoram in minoribus, ventriculis cordis magniſque vaſis refunditur: Arteriae ideo haud tam crebro aut fortiter micant. Ad rem quoque multum pertinet, ut aeger eo corporis poſitu utatur, quo pauciſſimi muſculi intenduntur; idcirco,

*Situs Horizontalis,*—aegro, uſque dum ſigna adſunt inflammatoria, diligenter imperandus eſt: Hic enim non modo ſanguinis generalem impetum reprimit, ſed etiam praeſertim

praeſertim humorum inferiora verſus cohibet adfluxum, et reditui faciliori per venas favet: Inde, ſanguis ſolito minus vaſis in ſpermaticis accumulatur; res, quae maxime ad morbi curationem confert.

*Diaeta*—aegroti ſibi jure vindicat medici attentionem. Conſtare debet materie imbecilliore, et quam minime ſyſtema ſanguiferum concitante; quapropter cibus vegetabilibus confectus imprimis uſurpandus.

Spiritus cujuſcunque generis ardentes, nec non liquores fermentati fortiores, procul decumbente amoveantur. Sitis reſtinguenda aquae purae, aut pulmenti limonum ſucco accidulati, poculis. Ne plura dicam, methodus antiphlogiſtica, medicis pleriſque ſatis deſignata, prorſus ſervanda eſt.

Denique, notatu enim dignum, in iis exemplis, quibus auxilia ad ſyſtema neceſſaria judicantur, localia ſimul adhibenda: Ne autem

autem vice verſa ſequamur hunc aphoriſmum: Affectio generalis, generalia medicamenta aeque ac topica; ad locum ſolummodo relegata, topica tantum plerumque petit.

3. Ad actionem vaſorum in loco auctam, impetumque inde pendentem minuendum, convenit.

*Sanguinis detractio topicalis.*—Haec amplectitur bonos venaeſectionis effectus, cum nullos plerumque malos exſequitur. Melius procedit hirudinibus partibus affectis admotis. Contendunt nonnulli, quoniam inter ſcroti vaſa eaque teſtium vinculum parum intercedit, nihil boni ab iis auxiliis comparari. Experimenta tamen non pauca docent, ſaepe illa magnum praeſtitiſſe commodum, ideoque nunquam negligenda.

Nihil plus conferre ad inflammationem ſedandam, aut penitus ſummovendam dici-

 tur,

tur, quam ut fluxus puriformis (antea ſuppreſſus) renovetur; quo idcirco hunc exſequamur, foveatur penis ſaepe ſaepiuſque aqua tepida; in urethram injiciatur oleum calidum, aut demum indetur *bougie.*

*Opium* per os doſi ſatis larga, anumve clyſmatis forma, aſſumptum, cum fructu optimo ſtipatur, et ad fluxum reducendum et irritationem compeſcendam; quo etiam fit, ut aeger ſomno gratiſſimo per aliquot horas fruatur. Inter haec, alvus enematum ope, ſi opus fuerit, facilis tenenda.

Madeat ſemper ſcrotum ſacch. ſaturn. ſolutione aliove parato ex plumbo, quo, et hic aliiſque in corporis partibus, votis nihil melius reſpondet, pluſve pollet ad inflammationes in loco reſolvendas. Tumor teſtium recens ſaepe reſolvitur, glacie ſeu aqua gelida ſcroto admota ſaepiuſque repetita *.

*Cataplaſmata,*

* Vid. Swediaur on the Venereal Diſeaſe.

*Cataplaſmata*, *fomenta*, et *aquae vapores calidae*, tam ſtudioſe omnibus fere auctoribus inculcata, mihi videntur, non ſolum non prodeſſe, ſed frequenter multum obeſſe. Haec enim, utpote quae partes molliant, ſuppurationem, eventum quam maxime metuendum, inſigniter promovent *.

Sin ſuppuratio, auxiliis reſolutionem exſequentibus, aut neglectis aut fruſtratis, obtinuerit, tum materia purulenta, ſcrotum, qua maxime pendet, ferro ſecando, evacuetur; atque modo ſolito abſceſſui medetur †.

Scrotum omne per tempus medelae, et quidem aliquanto longius, ſacco ſibi aptato, ſuſpendatur. Hujuſmodi artificium maxime dolorem ſublevat, ſive erectum ſit corpus, ſive ſupinum; et ſimul ad curationem oppido confert.

Inflamma-

* Vid. Bell on Ulcers.

† Vid. Bell's Surgery, vol. 5.

Inflammatione imminuta, vel penitus proſtrata, atque partibus ut ſolebant ſe gerentibus, nihil ultra reſtat, quod faciamus; medela abſolvitur. Si vero ut frequentius fit, tumoris aliquid et teſtis duritiei duret, tunc ad indicationem alteram animum advertendum; nempe ut

II. Iſta ſymptomata quam maxime citoque ſubigantur.

Partes, quandoquidem tumor nunc indolens inſenſiliſque ſit, omnimodo excitandae. Huic conſilio multum profuerunt emetica, quae veluti carmina magica (ut fertur) ſalutem praeſtant. De conſenſu inter teſtes et ventriculum intercedente, virtus, ut mihi videtur, omnino pendet. Emetica plus valent draſtica; hancque ob rem, turpethum minerale omnium maxime laudatur.

*Electricitas*, uti ſtimulus valde potens, auxilium praeſtantiſſimum, adverſus hoc genus tumoris creditur: Et ſane nil dubito, quin

quin diu applicata pleriſque medicamentis praevaleat.

*Suffimenta ſtimulantia* cum herbis aromaticis, nec non aquae atque camphorae vapores, ſcroto admoti, multis arriſerunt: Certe licet, periculi gratia, inter alia, haec quoque adhibere.

*Linimentum volatile* partibus externis affricatum in uſu ſaepe fuit.

*Unguentum mercuriale*, aut ſimplex, aut cum camphora conjunctum, ad idem propoſitum, haud raro applicatur; eodem atque tempore frictio ſemper admovetur.

Symptomatis iis remediis minime inclinantibus, fas eſt gonorrhoeam, ſi poſſimus, reſtituere. Remedia vero, quae ſtadio morbi inflammatorio hoc praeſtarent, hic nil valent. Abſolvitur nunc, aut concubitu impuro, aut, quod ſatius eſt, *inſitione*, hoc eſt paululum materiae gonorrhoicae intra

urethram

urethram auxilio *bougie* ducendo. Hic uſus, ni fallor, hac in regione parum hactenus notus fuit, quippe quem aegrorum perpauci permitterent; in Germania autem frequentius tentatus, bonique effectus ſaepius, ut audivi, inde ſecuti ſunt *.

Cibi nunc ex animalibus confecti, et cyathi modici vini generoſi, uſui indulgeat aeger: At ſimul tamen caveat, ab omni eſculentorum potuſve luxu.

Haec ſunt auxilia, quae hoc in morbi ſtadio praepollere mihi videntur. Si autem, poſtquam ea diligenter adminiſtrata fuerint, durities atque tumor pertinaciter teſti incumbant, ſarcocelen ſinceram obtinuiſſe judicamus. In tumorem id genus ſpecifica, veluti cicuta, mercurius, mezereon, multaque alia, vi ſimili praedita, medicamenta, nuper medicis evecta fuerunt. Eorum tamen (dolendum eſt) nulla, vi qua perhibentur,

* Vid. Niſbet on the Venereal Diſeaſe.

perhibentur, tumores ſchirroideos reſolvere, vel iiſdem obſiſtere, adhuc reperta ſunt.

Si igitur, hiſce mediis non obſtantibus, ſarcocele invaleſcat, ſi vitium altius ſerpens chordam afficiat ſpermaticam, ſique praeſertim tetrum minitetur carcinoma, curſui teſtem penitus extirpando propere obviam eundem eſt.

Gangraenae inflammationem teſtis excipienti, non aliter ac aliarum corporis partium, medetur; antiſepticis ſpeciatim nitendum, quorum cort. Peruv. jure princeps habetur.

Hydrocele, herniae humoralis comes aut ſequela, chirurgica fere poſtulat auxilia; parum enim medicus proderit,

Dum medicas adhibere manus—
Abnegat, aut meliora deos ſedet omina poſcens *.

Quocirca

* Vid. Virg. Georg. iii. l. 455.

Quocirca humor foras emittendus epiſtomii ope, caeteraque demum miniſtranda, perinde ac ulla ab alia noxa proveniſſet.

F I N I S.